

TRACTATUS XIV.

DE EFFECTIBUS GRATIÆ.

POST considerationem eorum, quæ ad necessitatem, essentiam, divisiones, & causas divinæ gratiæ spectant, procedimus cum Div. Thom. ad declarandos duos præclaros effectus illius, videlicet iustificationem, & meritum. Deinde (inquit in proœmio quæst. 13.) *considerandum est de effectibus gratiæ. Quorum primus pendet ab ea in genere causæ formalis, & secundus in genere causæ efficientis. Et propterea hunc tractatum prædictis duobus effectibus dicamus. Illum dividentes in duas disputationes: in quarum prima erit sermo de iustificatione impij: in posteriori de merito iusti. Quia prior, & intimior est effectus in genere causæ formalis, quàm effectus in genere causæ efficientis.*

DISPUT. I.

De Iustificatione impij.

Plures effectus præstat gratia in genere causæ formalis, alios positivos, & alterum privativum. Effectus positivi sunt reddere subiectum Deum per participationem, iustum, gratum, filium Dei adoptivum, & alij similes. Effectus privativus est expulsio peccati. Et quia tract. præc. disp. 2. per tot. declaratum manet quidquid ad intelligendos prædictos effectus positivos desiderari poterat; idcirco tantum restat, ut operam demus iustificationi prout dicitur expulsionem peccati, quæ coincidit cum iustificatione impij, & distinguitur à iustificatione per modum simplicis generationis non supponentis peccatum, quo pacto Angeli, Adam in statu innocentie, & B. Virgo iustificationem acceperunt. Iustificationem autem impij definit Concil. Trid. sess. 6. cap. 4. his verbis: *Est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptivæ filiorum Dei. Et hæc est præcipuum obiectum huius disputationis. Pro quo sit.*



DUBIUM I.

An iustificatio impij sit vera ablatio peccatorum mortalium: Et an ad eorum ablationem interveniat aliqua forma intrinseca?

Inter viginti errores hæreticorum huius temporis circa iustificationem impij, quos refert Bellarm. lib. 2. de eadem cap. 1. duo sunt præcipui. Primus est, in iustificatione peccata mortalia verè, & propriè non remitti, aut deleri, sed dimittere regi per iustitiam Christi hominibus imputatam; & hoc sufficere, ut desinat imputari, & homines acceptentur à Deo, ac si essent iusti. Secundus est, peccata remitti per solam Dei condonationem, & remissionem extrinsecam. Utrunque hunc errorum refellimus in hoc dubio. Pro quo sit,

§. I.

Veritas catholica duabus assertionibus elucidata.

Dicendum est primò, in iustificatione impij verè remitti, & auferri peccata mortalia. Hæc assertio est de fide, definita in Trid. sess. 5. can. 5. his verbis: *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptisate confertur, reatum originalis*

pecc-

peccati remittit negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod verum, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum rati, aut non imputari, anathema sit. Quam definitionem, etiam directè cadat supra ablationem peccati originalis, omnes DD. catholici merito extendunt ad personalia, cum eadem ratio in omnibus militet, ut ex dicendis constabit. Maxime quia non obscurè idem definit circa omnia peccata scilicet. 6. sequenti, cap. 7. & can. 11.

Et probari potest primò plurimis testimonijs sacra pagina, ex quibus unum, vel alterum interfecimus. Primum est illud Ioann. 1. *Eccce Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* Secundum est illud Act. 3. *Pœnitentini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Tertium est illud ad Hebræos 9. *Christus semel oblatus est ad malorum exhaustiendâ peccata.* Quartum est illud ad Rom. 8. *Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu.* Quintum, & vltimum est illud psalm. 11. *Dirupisti Domine vincula mea.* Quæ lucutiones pugnant cum dolosa interpretatione hæreticorum: *tollere enim peccata pugnat cum hoc, quod est præcisè tegere peccata, sed non tollere, quod avertit illi: sicut dirumpere vincula cum hoc, quod est ea occultare, sed veraciter non rumpere: & exhaustivè peccata cum hoc, quod est non absolute exhaustivè, sed absolute ea manere: ergo iuxta Script. in iustificatione verè auferuntur peccata, & non occultantur.*

2. Nec nos latet, Sectarios tam antiquos, quàm modernos suam hæresim munire aliquibus sacra Scripturæ locis: sed quantum à veritate aberrerent eorum intelligentia, singula testimonia interpretando, constabit. Nam illud psalm. 31. *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Et *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum,* adeo clare stat pro sententia catholica, ut non indigeat nisi sincera lectione: siquidem ibidem additur: *Neque est in spiritu eius dolus: ubi, ut vides, regi, & non imputari explicatur per non esse peccati: Et ita exponit prædicta verba August. ibi dicens: Nec sic intelligatur, quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, & vivant. Et Iulianus martyr in Dialog. cum Triphone explicat Deum non imputare peccata, per verè remittere, & delere.*

Accedit. Nam impossibile est regi, seu aboleri apud Deum, quod est in conspectu eius apertum & clarum; sed omnia peccata sunt in conspectu Dei, eique nuda & aperta, ut dicitur psalm. 89. & ad Hebræos 4. ergo impossibile est peccata reipsa manere in iustificato, & Deo esse abscondita: vel econtrâ impossibile est ea à Deo non videri, & reipsa non esse sublatâ.

Nec id, quod pro se asserunt Sectarij ex 1.

Petti 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum, eis prodelt.* Nam, præterquamquod valet exponi de charitate dissimulante, vel excusante proximorum defectus, ut videre est apud Cornelium Alapide, possunt accipi in eodem sensu ac testimonia præcedentia. Nam taliter charitas, vel Deus per charitatem in iustificatis peccata dicitur operire, quòd ea destruat. Sicut Medicus emplastro vulnera tegens, aufert, tollit, & sanat, ut ait Augustin. in psalm. 31.

Deinde suadet catholica assertio ratione satis vrgenti deducta ex Div. Thom. 3. part. quæst. 86. art. 1. Nam peccata mortalia in iustificatione solam regi, & non deleri reipsa, vel proveniret ex repugnantia inuisummi deletionis, vel ex eo, quòd Deus nollit ea autret; neutrum dici potest: ergo non solam teguntur, sed verè omnino auferuntur. Minor quoad primam partem probatur: tum quia derogat Dei omnipotentiz. Tum etiam, quia plures defæctò, qui se peccatis in hac vita inquitant, Deum clare vident; sed in Ierusalem celesti nihil potest esse coinquinatum, ut testatur Ioannes in sua Apocal. cap. 21. ergo possibile est peccata mortalia deleri. Tum denique; nam possibile est Deum gratiam habitudinem animæ inhaerentem producere, & defæctò illam producitur in iustificatione, ut ex fide probavimus tract. præc. disp. 2. dub. 1. sed gratia ex natura sua est impossibilis cum peccato lethali; ergo.

Quoad secundam verò probatur: tum quia derogat divinæ misericordiæ: quia, ut inquit D. Thom. Deus, qui benignus est, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia, vinceretur ab homine, si homo vellet deleri, quòd Deus delere non vellet. Tum etiam: quia derogat passioni Christi, per quam pœnitentia operatur, & scriptum est 1. Ioann. 2. *Ipsè est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* constat autem plures fuisse verè pœnitentes: & desiderasse intensissimè sua peccata deleri, ut constat in Davide, Magdalena, & D. Petro: ergo defæctò Deus voluit peccata eorum delere.

3. Dicendum est secundò, peccata mortalia non deleri per solam formam extrinsecam, sed reipsa per gratiam intrinsecam remitti peccata. Hæc assertio, prout iacet, est æquè de fide ac præcedens, definita in Trid. sess. 6. can. 11. his verbis: *Si quis dixerit, hominem iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, quæ iustificatur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. Quod magis ad intentum declarat cap. 7. dicens: Hanc*

dis-

dispositionem, seu preparationem iustificatio ipsa consequitur, quae (perpende verba) non est sola peccatorum remissio, sed & satisfactio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae. Unde homo ex iniusto fit iustus &c. Et infra adiecit: Unde in ipsa iustificacione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fides, spes, & charitatem. Ergo iuxta favor Dei extrinsecus, sed fit media infusione gratiae.

Et probatur primò ratione deducta ex eodem Concilio: nam Concil. praedictò cap. 7. definit iustificacionem includeret non solum renovationem interiorem, de qua late loquuti sumus tract. praec. disp. 2. sed etiam remissionem peccatorum: atqui Concilium, postquam docet misericordiam Dei esse causam efficientem, gloriam Dei, & Christi esse causam finalem, & passionem Christi esse causam meritoriam, statim asserit causam formalem esse gratiam Dei intrinsecè inhaerentem: sentit ergo, quòd remissio peccatorum non est tantum favor Dei extrinsecus, sed verus effectus gratiae habitualis in genere causa formalis.

Probatur secundò ratione: Nam in iustificacione impij homo regeneratur, renovatur interiorius, & redditur iustus, amicus Dei, filius eius adoptivus, eiusque haeres, & dignus vitae aeternae per formam intrinsecam, scilicet per gratiam, ut late probavimus loco proximè relato; sed eadem gratia, quae praestat praedictos effectus, potens est auferre peccatum: ergo remissio peccatorum non fit per solum favorem extrinsecum, sed etiam per formam intrinsecam, nempe per gratiam. Minor probatur: nam quaelibet forma per exhibitionem suae entitatis expellit in genere causa formalis formam contrariam, ut liquet in calore, qui sicut per exhibitionem suae entitatis reddit subiectum formaliter calidum, ita expellit formaliter frigus; sed peccatum est contrarium gratiae: siquidem gratia constituit hominem iustum, peccatum iniustum; gratia amicum Dei, peccatum inimicum Dei; gratia (ut alia praetermittamus) dignam gloriae, peccatum indignum gloriae: ergo gratia potens est auferre peccatum.

Nec in hac parte dissimulare possumus Suarium asserentem tom. 1. in 3. part. disp. 4. sect. 8. §. Superest, solum esse de fide, quòd iustificatio quoad interiorem animae renovationem fiat per formam intrinsecam, scilicet quantum ad remissionem peccatorum. Et ita docet, quòd qui sentit remissionem peccatorum fieri formaliter per solum condonationem extrinsecam, nihil aperte diceret contra Concilium: quia adhuc esset verum gratiam, qua iustificatur, non esse tantum favorem Dei extrinsecum,

quia licet illum includat, etiam importat gratiam inhaerentem, ita ut haec deserviat ad renovationem interiorem hominis, & favor Dei ad tollendum peccatum.

Non, inquam, dissimulare possumus hunc singularem modum discurrendi. Quia Concil. definiti. sess. 6. cap. 4. quòd iustificatio impij est translatio à statu peccati in statum gratiae, & cap. 7. dicit iustificacionem non esse solum remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, & renovationem interiorem hominis: ergo ex mente expressa Concilij iustificatio impij utrumque includit, & infusionem boni, seu gratiae, & ablationem mali. Iam sic; sed cap. 7. docet viciniam causam formalem huius iustificacionis esse gratiam inhaerentem: ergo sicut est de fide, propter decretum Concilij, quòd iustificatio quoad sanctificationem, & renovationem interiorem non est solus favor Dei extrinsecus, ita est de fide, quòd remissio peccatorum non est solus favor Dei extrinsecus.

§. II.

Haereticorum argumenta.

4. Arguunt primò haeretici adversus primam assertionem aliquibus testimonijs sacrae Scripturae praeter relata num. 2. Tum quia D. Paulus post sui iustificacionem ad Rom. 7. dicit: *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*: ergo in homine iustificato verè remanet peccatum, licet cooperatum. Nec prodest recursum ad concupiscentiam, quae nomine peccati intelligitur, & in iustificatis perseverat. Non inquam, prodest: quia concupiscentia est verè peccatum: ita enim illam appellat Apost. ad Rom. 7. & 6. 7. & 8. & ad Hebraeos 11. necnon D. August. lib. 5. contra Iulian. ubi ait: *Concupiscentia carnis, contra quam bonus concupiscit spiritus, peccatum est: quia inest illi inobediencia contra dominatum mentis*. Tum etiam: nam Isaia 64. dicitur: *Faeti sumus immundi omnes, & conversae iustitiae nostrae tanquam pannus menstruatae*; sed hoc stare non potest, nisi post iustificacionem maneat peccata occulta: ergo.

Ad testimonium Apost. respondetur sustinendo solutionem inter arguendum insinuatam. Quae optima est, quia concupiscentia, quae manet post iustificacionem, de qua loquitur Apost. ibi, non est formaliter peccatum, licet dicatur peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur, ut exponit Trid. sess. 5. in decreto de Peccato orig. can. 5. & D. Thom. ad dictum locum Apost. lect. 3. Per quod constat ad replicam, necnon ad testimonium August. qui eodem modo debet exponi. Ad testimonium Isaiae respondetur verba illius, vel intelligi de caeremonijs Iudaicorum, quae immundae erant propter

eorum

eorum peccata: vel de maculis venialium, quae frequentius iustorum operibus permiscuntur.

5. Arguunt secundò à ratione: Nam homo iustus generans hominem traducit in eum peccatum originale; sed nemo dicit, quod non habet: ergo post iustificacionem retinet homo peccatum originale; sed eadem ratio est de actualibus: ergo. ¶ Et confirmatur primò. Quia postquam homo in poenitentiae sacramento iustificatur, potest iterum absolvi ab eisdem peccatis: ergo signum est, per priorem abolutionem, quae Catholici praedicant homines iustificari, verè peccata non deleri, aliàs non possent iterum esse materia novi sacramenti, & inania forent verba illa absolutiois, *Ego te absolvo à peccatis tuis*. ¶ Confirmatur secundò. Nam post iustificacionem adhuc manent habitus vitiosi: ergo etiam peccata habitualia. Consequenter à paritate constat.

Ad argument. facile respondetur ex dictis tract. de Peccatis disp. 2. dub. 4. per totum, praesertim §. 13. quòd proximi parentes non traducunt peccatum originale in filios per modum causae principalis, sed ut instrumenta Adami: & sic non requiritur eos, nec Adamum ipsum nunc habere peccatum originale, sed sufficit Adamum peccasse à principio, & tunc elevasse semen posterorum ad illud transmittendum, quod defecit Adamus assequutus est, quamvis nec in posteris, nec in semine sit formaliter peccatum, sed tantum virtualiter. Ad eum sane modum, quo saepe leprosus filius generatur, quamvis in genere, nec in semine sit formaliter lepra, sed tantum virtualiter, & casualiter, ut ait D. Thom. in 2. dist. 30. quaest. 1. art. 2. ad 4. vel ad eum modum, quo in semine manet virtualiter virtus generativa, licet generans perierit. Quid sit, vel in quo consistat, vel quae connoret illud, quod semen constituit in esse instrumenti, iam explicavimus loco citato, ad quem remittimus lectorem.

Ad primam confirmationem respondetur, verba absolutiois significare, ministrum poenitentiae conferre tunc gratiam remissionem peccatorum. Cui de materiali est supponere illa dimissa, dumquod apponatur à poenitente nova confessio, novusque dolor de peccatis, qui sanè potest haberi, immò facilius, & intensius, si aliquando fuerunt, etiamsi nunc non existant. Posito autem dolore sufficienti, qui est materia proxima poenitentiae, non est unde sacramentum, ceteris adstantibus, frustrari queat.

Ad secundam respondetur esse notam disparitatem inter habitus vitiosos, & peccata habitualia, ut pluries diximus in tract. de Peccat. quòd scilicet peccata habitualia directe opponuntur cum gratia; at habitus vitiosi tantum dispositivè, & indirectè, ratione actuum ad quos inclinatur; qui, cum non sint infallibili-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

ter connexi cum peccatis, non est cur statim corrumpantur in iustificacione, licet sit in via corruptionis.

6. Arguunt tertio. Nam saepe post iustificacionem remanet homo obnoxius poenae luendae in purgatorio, vel indulgentijs expandae: ergo in iustificacione non auferuntur ex toto peccata: ergo absolute non auferuntur. Hoc ultimum consequens evidenter colligitur ex certis principijs, in quibus nullum peccatum dimittitur, nisi dimittantur omnia (intellige de mortalibus.) Antecedens est de fide. Et prima consequentia probatur: nam peccatorem esse poenam dignum est esse reum; sed homo immunis à peccato nequit reus appellari: ergo si post iustificacionem est dignus poena, eò est, quia in illo remanet peccatum.

Ad hoc argument. iam constat ex dictis tract. de Peccat. disp. 3. dub. 1. ubi reatus ad poenam diximus consistere in condignitate ad illam, quae completur lege, vel iustitia Iudicis. Qua ratione, si praedictus reatus sumatur proximè & completivè, potest optimè à peccato separari, quia nullus dubitabit posse Deum non deputare peccatorem ad poenam illi condignam; & dimissa culpa, deputare eum ad poenam saltem temporalem. Ad quod satis est, quòd praecesserit peccatum, & quòd peccator non ita intense convertatur ad Deum, sicut conversus est ad bonum commutabile. Nam licet perquamlibet conversionem ad Deum per charitatem tollatur totaliter conversio peccaminosa, potest tamen Deus iuste taxare illi aliquam poenam temporalem, si conversio ad ipsum non est ita intensa.

7. Adversus secundam assertionem primò obijciunt plura testimonia sacrae Scripturae, in quibus dicitur, quòd Christus est nostra iustitia, qua liberamur à peccatis. Sed ad haec iam occurrit Trident. sess. 6. ubi definit, quòd est nostra iustitia, prout casualiter, & meritorie concurrat ad iustitiam nobis inhaerentem, quae est gratia habitualis. Unde, argumento ab auctoritate praetermissio:

Arguunt secundò ratione. Nam peccata non expelluntur nisi media satisfactioe; sed homines satisfaciunt pro suis peccatis ex rigore iustitiae per satisfactioem existentem in Christo, & ipsis moraliter applicatam: siquidem non possunt ad aequalitatem satisfacere per actus proprios, ut ex dicendis 3. part. supponimus: ergo etiam peccata tolluntur per iustitiam Christi.

Roboratur hoc. Nam iustitia nostra est ita imperfecta, ut nequeat radicare in nobis iustitiam, per quam possumus ad aequalitatem satisfacere pro peccato nostro, & propterea ad satisfaciendum ex rigore iustitiae indigemus iustitia commutativa, seu perfecta Christi: ergo non abolerentur peccata, nisi interveniente iustitia Christi extrinsecè.

Confirmatur. Nam vt nos satisficiamus ad aequalitatem pro peccatis, opus est, vt vniamur moraliter extrinsecè Christo, tanquam membra capiti: ergo necessaria est iustitia Christi nobis extrinsecè vnita ad expellenda peccata.

Hoc argument. si rectè inspicitur, non militat contra hanc secundam assertionem, in qua solum intendimus intervenire aliquam formam intrinsecam ad expellenda peccata, quod verissimum est, quantumvis sit necessaria satisfactio Christi pro eis expellendis: siquidem intervenit satisfactio nostra formalis consistens in actibus nostris, vel eminentialis consistens in gratia, quae expellunt peccata modo infra dub. sequenti explicando.

Deinde respondetur, concessis praemissis, negando consequentiam, ob manifestam disparitatem inter satisfactionem, & expulsionem peccatorum. Nam satisfactio est quid purè morale, & potest moraliter applicari ei, cui moraliter satisfaciens est vnicus: qua ratione vnus homo potest satisficere pro alio. At liberatio à peccatis, sicut & sanctificatio, & renovatio interior est quid physicum: & propterea non possunt peccata physice expelli per iustitiam seu sanctitatem extrinsecam Christi. Unde satisfactio Christi solum concurret, vt docet sancta Synodus Trid. in genere cause meritòria ad hoc, vt Deus producat in nobis formam intrinsecam sanctificantem, & expulsiuam ex se peccatorum, quam nulla pura creatura quoad effectum eius adaequatum potest de condigno mereri. Sed, ea posita, formaliter expelluntur peccata. De quo infra. Et ex his constat ad robur argumenti, nec non ad confirmationem.

DUBIUM II.

An gratia habitualis defectò sit forma, per quam expellitur peccatum mortale: Et an ad hunc effectum praestandum indigeat aliquo favore extrinsecò.

EX dictis tract. præc. disp. 2. dub. 1. & 3. satis constat, gratiam habitualementem, quae in iustificatione infunditur cum ceteris donis, esse sufficientem formam sanctificantem quoad interiorem renovationem, & quoad effectus positivos sancti, amici Dei &c. nulla mentione facta ibi de effectu privativo expulsionis peccati, vt daretur in presenti locus duo inuestigandi, nempe an gratia habitualis sit forma, per quam remittitur peccatum: & an hunc effectum præbet independentem à novo favore extrinsecò condonationis?

Circa primam partem quaestio omnes catholici conveniunt in eo, quòd gratia est forma expellens peccata. Sed quidam dicunt, hanc gratiam esse adeo imperfectam quoad hoc munus,

vt indigeat vterius misericordia Dei, novoque favore extrinsecò. Ita Scotus in 4. dist. 16. quaest. 2. §. *Respondeo*, Gabriel, Greg. Ocham, Ioann. à Medina. Quibus adherent ex Societate Coninch. disp. 21. de *Verit.* & Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 4. sect. 8. De his merito conqueritur Vazquez disp. 204. cap. 2. dicens: *Recentiores Theologos multò magis miratus sum, quòd post præclaram Concilij Trident. definitionem tam exilem iustitiam inherentem iustis concesserint, vt ex se non habeat virtutem tergendis maculis, neque eas purgare valeat, nisi favore, & condonatione Dei relaxentur &c.*

§. I.

Duae assertiones pro dubij resolutione.

8 Dicendum est primò, gratiam habitualementem esse formam, per quam defectò expellitur peccatum mortale. In hac assertionem, quatenus praescindit ab eo, quòd sit forma adaequata intrinseca, vel inadaequata conspirant omnes Theologi. Et nostro iudicio definita est in Concil. Trid. tum sess. 5. can. 5. vbi damnat eos, qui asserunt reatum peccati originalis non deleri per gratiam, quae in baptismate confertur; sed gratia habitualis est praecipua, quae in baptismate confertur: ergo iuxta Concil. per gratiam habitualementem defectò aufertur peccatum originale: Atqui eadem ratio est de gratia, quae infunditur in iustificatione quoad peccata personalia, quia est eiusdem speciei, & non minorem oppositionem habet hac gratia cum personalibus, quam illa cum originali: ergo gratia habitualis, quae infunditur in iustificatione, verè aufert peccata.

Tum etiam: nam sess. 6. cap. 7. aperte diffinit, vt vidimus num. 3. iustificationem impij fieri per formam intrinsecam non solum quoad interiorem renovationem, sed etiam quoad expulsionem peccatorum; sed ad hos effectus praestandos iuxta Concil. primas tenet gratia habitualis, cum dicat ad iustificationem praesupponi aliquam praeparationem, ad quam ipsa iustificatio consequitur, *que non solum est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis* (perpende verba) per voluntariam susceptionem gratiae. Unde (statim subiungit) idem, per ipsam gratiam, homo ex iniusto fit iustus. Et postea addit, quòd simul cum gratia infunditur fides, spes, & caritas: ergo contra definitionem Concilij procederet, qui assereret gratiam habitualementem non esse formam expellentem peccata.

Et confirmatur ex definitione iustificationis impij, quam describit Concil. praedicta sess. 6. cap. 4. dicens, quòd est *translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, ad statum gratiae, & adoptionis filiorum Dei*; sed sola gratia habitualis est, quae constituit statum gratiae, & praebet effectum filiationis Dei: ergo haec est terminus primarius, & praecipuus praedictae mutationis, & translationis; sed dum fit motus, & transitus de vno ad alium statum, terminus ad quem illius motus formaliter destruit formam constitutivam prioris status: ergo gratia habitualis destruit formaliter formam, per quam homo nascitur filius primi Adae; sed hac forma iuxta mentem Concilij est peccatum, ergo iuxta Concil. peccatum destruit formaliter per gratiam habitualementem. Accedit ad haec ratio adducta num. 3. quae applicata gratiae habituali evidenter probat hanc assertionem: siquidem ea est, quae formaliter tribuit effectus in ea relatos, vt latè probavimus tract. præc. disp. 2. dub. 3. Unde in hac assertionem probanda non oportet amplius immorari.

9 Dicendum est secundò, gratiam habitualementem egeri novo favore Dei extrinsecò ad remissionem culpae mortalis, sive quoad rationem maculae, quae est in anima, sive quoad rationem offensae passivae, quae moraliter est in Deo. Ita communiter Theologi, exceptis quos retulimus in limine dubij.

Et quoad primam partem praecipuè probatur ex Trid. Nam iuxta Concil. effectus praecipui iustificationis in impio, sive parvulo, sive adulto, sive iustificetur per baptismum, sive per poenitentiam per modum virtutis, vel per modum sacramenti, sunt sanctificatio interior, & remissio peccatorum, vt constat aperte ex hucusque dictis in hac disp. sed iuxta idem Concil. sess. 6. cap. 7. *Unica causa formalis iustificationis est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit*, quae est gratia habitualis: ergo gratia habitualis independentem à novo favore extrinsecò remittit maculam culpae. Patet consequentia: aliàs non esset vnica forma ad praestandum hunc effectum, sed causa formalis adaequata constaretur partim ex praedicta gratia, & partim ex illo novo favore: sicut valor monetae integratur partim ex condignitate intrinseca metalli, & partim ex ordinatione extrinseca Principis.

Roboratur. Si gratia habitualis indigeret novo favore Dei extrinsecò ad remittendam maculam culpae, praecipua forma remittens peccatum esset praedictus favor, & non gratia: immò gratia habitualis non esset forma adhuc inadaequata expellens maculam culpae; sed vtrumque est contra Concil. asserens quòd vnica forma iustificationis quoad vtrumque effectum, videlicet renovationem interiorem, & expulsionem peccati est gratia habitualis: ergo gratia iuxta Concil. non indiget novo favore extrinsecò. Sequela maioris quoad primam partem probatur: nam illa est praecipua forma ad praestandum aliquem effectum formalem, qua posita ponitur

talis effectus, & qua ablata non ponitur, etiam si communicetur alia forma; sed si esset necessarius novus favor Dei extrinsecò, vt gratia expelleret maculam, sublatò favore extrinsecò non expelleretur macula, & posito favore statim auferretur: ergo favor Dei extrinsecò esset forma praecipua expellens maculam culpae. Quoad secundam etiam partem suadet: nam effectus formalis ex natura rei connequitur cum causa formali, immò est ipsa forma communicata: ergo si gratia ex natura sua non expellit maculam, sed solum ex lege & misericordia Dei extrinseca, nequit gratia dici causa formalis praedicti effectus. Sicut si Sol non haberet virtutem ad illuminandum, & Deus ad praesentiam Solis illuminaret ex solo favore extrinsecò, Sol non posset dici causa illuminationis. Pro quibus recolenda sunt, quae diximus loco supra relato num. 35. quibus hac ratio potest confirmari, & quaedam evasio adversariorum praevocatur.

Deinde quoad hanc partem probatur assertio ratione: Nam gratia habitualis, vt praebet effectus positivos sancti, amici Dei, filiiusque eius adoptivi &c. non indiget novo favore Dei extrinsecò: ergo nec ad expellendam maculam peccati mortalis. Antecedens supponitur ex dictis praedicto tract. disp. 2. & dub. 3. per tot. Et consequentia probatur: nam amicitia Dei ex natura sua expellit inimicitiam illius, iustitiam iniustitiam, filiationem Dei filiationem diaboli, seu servitutem peccati, condignitas ad gloriam indignitatem ad illam: hac enim predicata opponitur ex natura sua contrarie, seu privative, sed macula peccati constituit hominem iniustum, vt supponit Concil. sess. 6. cap. 7. in illis verbis, *homo ex iniusto fit iustus*, & cap. 4. in illis, in quibus describit iustificationem per hoc, quòd fiat *translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Adae*, id est iniustus &c. idemque constat de inimicitia, & alijs effectibus: ergo si gratia independentem a favore Dei extrinsecò constituit hominem iustum, amicum Dei &c. etiam ex natura sua, & nullo interveniente pacto extrinsecò expellit maculam peccati.

Confirmatur haec ratio. Nam macula peccati mortalis vel consistit in privatione gratiae, vt nos docuimus tract. de Peccat. disp. 2. à num. 108. vel saltem ex natura sua illam inducit, vt infra magis ostendemus; sed nulla forma, vt expellat sui privationem, expectat novum favorem extrinsecum: ergo gratia non indiget novo favore Dei extrinsecò ad expellendam maculam peccati. Adde: Nam status peccatoris, constituitur per hanc, vel illam formam, ex natura sua expellitur per statum sancti, constituitur per hanc, vel illam formam; sed gratia habitualis ex natura sua constituit statum sancti, vt ibi probavimus, & colligitur ex Concil. in illis verbis, *in statum gratiae, & adoptionis filio-*

horum Dei: ergo gratia habitualis ex natura sua, & nullo intercedente pacto extrinseco, excludit maculam peccati.

10 Assertio quoad posteriorem partem, quæ præcipue militat contra Suarezium, potest primo ostendi ex Trident. sess. 5. can. 5. vbi definitur, per gratiam, quæ conferitur in baptismo, tolli totum id quod habet veram & propriam rationem peccati. Ad quod accedit illud Apost. ad Rom. 8. *Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu*, id est in gratia Christi: ergo ut gratia habitualis excludat peccatum quoad rationem offensæ, non est necessarius novus favor Dei. Patet consequentia: alias posita gratia, si non poneretur novus favor Dei, aliquid damnationis, & quod habet veram rationem peccati, maneret in rite baptizatis, de quibus loquitur Concilium, & Apost. & consequenter in veris penitentibus.

Deinde probatur ratione. Nam gratia habitualis ex natura sua, & independentè à novo favore extrinseco constituit hominem Dei amicum: ergo non requiritur novus favor Dei ad remittendam offensam. Antecedens supponitur ex dictis dub. sæpe relato præcipue num. 37. Et consequentia probatur: nam eodem actu, quo Deus admittit quempiam in sui amicitiam peccatur illi, & redditur inoffensus: repugnat enim ex terminis aliquem esse amicum Dei, & Deum non esse illi peccatum; & repugnat etiam ex terminis Deum esse simul peccatum peccatori, & offensam: ergo si actus producens gratiam non indiget nova benevolentia Dei ad constituendum hominem Dei amicum, etiam sine nova benevolentia remittit offensam. ¶ Et confirmatur ex ijs, quæ contingunt in humanis. Nam eo ipso, quod homo offendentem admittit ad sui amicitiam, peccatur illi, & condonat offensam: alias quomodo diceretur amicus, si non est illi peccatus; & quomodo diceretur amicus, & peccatus, si non remittit offensam? ergo si per actum producentem gratiam admittit impij in sui amicitiam, sine novo favore peccatur illi, ut remittat offensam.

Sed vrgentiùs probatur ex quadam præclara D. Thom. doctrina quæst. 28. de Verit. art. 6. quæ potest ad hanc formam reduci: Nam gratia ex natura sua, & sine nova benevolentia Dei remittit maculam culpæ: ergo etiam offensam. Antecedens constat ex dictis pro priori parte huius assertionis. Et consequentia probatur: nam offensæ Dei consistit vel in actu peccatoris non retractato, vel in macula habituali, vel in quadam privatione in Deo moraliter recepta, & resultant ex peccato actuali, & habituali, vel in deputatione extrinseca ad penam seu satisfactionem: nihil enim aliud potest excogitari, in quo consistat: atqui omnia hæc abolentur ex siapte natura per gratiam, si per ipsam ex natura sua remittitur macula: ergo si

gratia sine novo favore Dei remittit maculam culpæ, etiam offensam. Minor quoad primam, & secundam partem ex ipsis terminis liquet. Quoad tertiam verò probatur: Nam sublato fundamento, ex quo privatio illa moralis resultat, & conservatur, necesse est, quod ipsa privatio auferatur; sicut sublato corpore opaco, ex cuius interpositione resultat umbra, siapte natura expellitur umbra: quo exemplo utitur D. Thom. ibi ad probandum, privationem gratiæ auferri, eo ipso quod retractetur actus præteritus peccatoris, ex quo, & ex cuius permanentia moralis privatio gratiæ refultat, & conservatur; sed privatio illa moralis in Deo moraliter recepta non minus dependet, & conservatur ex actu peccatoris, & macula peccati, quam ipsa macula ex actu peccati non retractato, & quam umbra ex interpositione corporis opaci: ergo privatio moralis relata siapte natura dimititur, dimissa macula peccati. Quoad ultimam partem etiam probatur: nam deputatio ad penam, vel satisfactionem iustam & debitam supponit in subiecto condignitatem, vel intrinsecam ortam ex macula intrinseca, vel extrinsecam ortam ex peccato actuali præterito, & non retractato: ergo actus ille, qui tollit maculam, vel producit formam tollentem maculam, & retractantem actualem peccatum præteritum, etiam sine novo favore tollit condignitatem ad penam, vel satisfactionem: ergo si per gratiam habitalem tollitur prædicta condignitas, etiam sine novo favore tollitur deputatio ad penam, seu satisfactionem. Sed de hoc operosius dubio sequenti.

§. II.

Argumenta contra secundam assertionem.

11 **A**Dversus primam assertionem nulla est sententia, ut notavimus in limine huius dubij, præter errorem harreticorum assertionem in iustificatione peccatoris non verè deleri, sed tantum tegi peccata: quorum motiva diluimus dub. præc.

Contra secundam arguitur primò ex Trid. sess. 6. can. 11. vbi sic definit: *Si quis dixerit: gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit*: ergo supponit Concilium, in iustificatione impij præter gratiam habitalem intervenire aliquem favorem Dei extrinsecum. Probatur consequentia: nam hæc propositio, *gratia non est tantum favor Dei*, quæ contradictorie opponitur huic propositioni harreticorum, quam damnat Concilium, *gratia est tantum favor Dei*, exponitur sic: *Gratia, qua iustificamur, est favor Dei, & aliquid aliud*. Sicut hæc, *Petrus non est tantum Logicus*, exponitur sic: *Petrus est Logicus, & aliquid aliud*, v. g. Philosophus, aut musicus.

Ad

Ad hoc argument. respondetur, Concilium non significare per illam propositionem, *iustificatio non est tantum favor Dei extrinsecus*, quòd remissio peccatorum est novum beneficium post infusionem gratiæ, sed tantum distinxisse contra harreticos, quòd iustificatio non consistit in favore extrinseco remissionis, ut ipsi delirabant. Unde, dum damnat hanc propositionem, *iustificatio est tantum favor Dei extrinsecus*, non asserit, posita gratia, dari novum favorem extrinsecum, sed tantum negat, quòd ipsi harretici asserbant. Maxime, quia propositiones exclusivæ negativæ, qualis est deducta ex Concilio, non semper reddunt veræ per suas exponentes, si exponentur modo præfato: ut videre est in hæc propositione, *lapis non est tantum animal*, quæ est vera; & eius exponentes, *felicitè lapis est animal, & aliquid aliud*, est falsa. Ita Sammuliste.

12 Arguitur secundo. Nam stat optime, quòd gratia habitualis sit causa unica remissionis peccatorum, & quòd dependeat à novo favore extrinseco Dei: ergo defactò ad remissionem peccatorum intervenit præter gratiam habitalem novus favor Dei. Antecedens probatur: nam stat gratiam esse remissivam culpæ, & offensæ, & ad hunc effectum præstandum dependere ex aliqua applicatione extrinseca: ut videre est in nostra sententia, quam infra expendemus, iuxta quam actus contritionis, aut charitatis est forma sufficiens ad tergendas maculas venialium, quas tamen non expellit, nisi accedat applicatio nostræ voluntatis ad hæc venialia potius, quam ad alia, & propterea potest vnum remitti, & non aliud: ergo pariter, estò gratia sit sufficiens forma ad remittenda peccata mortalia, potest dependere à nova applicatione Dei, quam adversarij novum favorem appellat.

Idipsum cernere licet in ipsamet gratia, quæ, ut asserit Trid. sess. 5. supra relat. per baptismum dubia, omnem reatum per seipsum tollit, quin negari queat egere ad hoc aliquo favore extrinseco Dei, alias gratia per poenitentiam producta, quæ est eiusdem rationis quoad essentialia, deleteret etiam omnem reatum: quod ipsum Trid. negat sess. 14. can. 12. & cap. 2. & 8.

Ad hoc argument. respondetur negando antecedens. Et ad eius probationem iterum negandum est antecedens iuxta sensum ab adversarij intentum. Ad primam instantiam dicendum est, aliud esse requiri applicationem extrinsecam causæ efficientis ad effectum formalem gratiæ, aliud verò effectum formaliter provenire ab applicatione, & non à forma applicata. Hoc vicinum intendebant harretici, & ex parte intendunt Catholicis. Sed nec intervenit in remissione venialis: vbi actus contritionis semel applicatus per se veniale remittit, sicut gratia

mortale. Fatemur tamen esse aliquam differentiam inter casum propositum, & præfentem doctrinam: quòd gratia nequit intelligi, nisi sufficienter applicata ad præstandum suum effectum formalem primum, cum quo essentialiter sunt connexi alij effectus secundarij, scilicet esse iustum, amicum Dei passive, & radicaliter active, necnon remissio omnium peccatorum mortalium. Cæterum actus contritionis, vel charitatis potest optime non applicari ad venialia delenda: siquidem gaudet aliquo effectu formali, scilicet reddere hominem contritum, vel amantem, à quo denudari nequit. Huic autem venialium remissio est contingenter annexa, ut suo loco explicabimus.

Ad secundam instantiam respondetur cum eodem Concilio loco in ea citat. cap. 2. vbi ait: *Alius est præterea baptisimi, & alius poenitentia fructus: per baptismum enim, Christum induentes, nova prorsus in illo efficiuntur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem, & integritatem, per sacramentum poenitentia, sine magnis fletibus & laboribus; divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus*. Et dum dicitur, quòd gratia poenitentia est eiusdem rationis quoad essentialia cum gratia baptisimi, verum elicit distinguuntur per quosdam modos. Gratia autem, baptisimali, non præcise ratione suæ essentia, sed simul ratione modi per baptismum super additi convenit prædictus effectus, videlicet plena & integra remissio omnium peccatorum tam quoad culpam, quam quoad penam, propter rationem infinitam à Concilio; & non ratione modi per poenitentiam adventientis. Immo audeamus dicere (præoccupatur tacita obiectio) quòd gratia regenerativa prædictum effectum præstat ex natura sua quoad omnia peccata commissa ante baptismum, estò hic recipiatur cum fitione, quando tollitur fictio.

Vel potest responderi iuxta dicta num. 6. quòd extinctio reatus ad penam temporalem nullam habet connexionem cum gratia, sed provenit à voluntate libera Dei: quia talis reatus non est peccatum, nec formaliter aliquid peccati. Concilium autem solum asserit, illum reatum per gratiam necessariò tolli, qui est peccatum, vel aliquid peccati, & huiusmodi est reatus culpæ, & offensæ. Poenit tamen Deus hunc favorem applicare baptisimi sacramento, & non sacramento poenitentia; quin ex hoc possit argui, quòd detur novus favor, supposita gratia, ad extinctionem reatus sive culpæ, sive offensæ, sive ad penam æternam.

13 Arguitur tertio: Gratia habitualis adhuc cum contritione non est sufficiens ad remissionem offensæ: ergo saltem quoad hunc effectum necessarius est novus favor Dei extrinsecus. Antecedens probatur: nam offensæ peccati mor-

mortalis est gravitatis simpliciter infinita, vt ex dicendis tract. de Incarn. disp. 1. constabit; sed gratia cum contritione est simpliciter finita: ergo gratia cum contritione non est sufficiens ad remissionem offensæ.

Ad hoc argument. respondetur, ex eo tantum inferri remissionem offensæ fieri gratia absolute, & simpliciter respectu nostri. Cum quo recte coheret, quod non sit necessarius novus favor Dei extrinsecus ad remissionem illius, quasi possibile esset, quod infundatur à Deo gratia habitualis, & homo elicat actum contritionis, & quod Deus non condonet offensam. Impossibile enim est, quod Deus media infusione gratiæ deponat odium in peccatorem, illumque admittat in perfectam amicitiam sui, constituat illum filium eius adoptivum, & hæredem gloriæ, & quod maneat offensus. Unde ipsa actio Dei, qua producit gratiam, & consequenter concurrat ad actum contritionis, est intransitive condonatio offensæ. An vero creatura concurrat active ad destructionem illius per contritionem, & an infusio gratiæ præcedat remissionem offensæ; alia questio est, quam infra decidemus, dum agamus de vltimis dispositionibus gratiæ.

DUBIUM III.

An per potentiam Dei absolutam peccatum mortale possit auferri per solam condonationem extrinsecam.

Præfens dubium tantum procedit de possibili, quia ex huiusque dictis satis constat, peccatum mortale non remitti defacto absque forma intrinseca. Etiam constat ex dictis tract. præced. disp. 2. dub. 3. repugnare metaphysicè, quod homo sit iustus, amicus Dei, filius eius adoptivus &c. per denominationem extrinsecam. Circa præsentem autem controverSIam plures sunt sententiæ, quæ ad duas capitales reduci valent. Prima est affirmativa, quam post D. Bonav. & Nominales defendit Scotus in 1. dist. 16. quest. 2. §. De secundo articulo, & 2. dist. 28. §. Ad quæstionem, & 4. dist. 1. quest. 6. §. Contra istam conclusionem, & dist. 16. quest. 2. §. Respondeo. Quem sequitur tota eius Schola; necnon Durand. N. Bachon, Curiel, & plures recentiores Societatis, vt Suarez, Bellarm. Granad. Lugo, Ripalda, Oviedo, Arriaga, Moniesla. Quibus ex parte suffragantur Vazquez, Dicastillo, & alij, quatenus dicunt peccatum originale posse tolli à Deo per solam condonationem extrinsecam, secus verò personale.

Secunda est negativa. Ita D. Thom. locis infra referendis, & communiter Thomistæ Ioannes à S. Thom. Gonet, Prado, Ferte, Bolivar,

NN. Salmant. in hac parte facile principes in præf. disp. 2. dub. 5. Et ex Societate Meratius, Amicus, Sparza, Antonius Perez, Turtius, Aranda, & alij. Notant tamen Ferrara, & Conradus, inter Div. Thom. & Scotum esse solam quæstionem de Nomine: eò quod Scotus solum concedat, peccatum tantum quoad reatum, & obligationem proximam ad penam posse remitti per solam condonationem extrinsecam, quod nunquam negat D. Thom. Sed revera adhuc inter eos est non modica discordia; siquidem Scotus vult, peccatum habituale consistere in sola obligatione ad penam. At D. Thom. asserit consistere in averfione habituali à Deo ex peccato actuali relicta. Et ex his duobus principijs contrarias intulerunt conclusiones in præfenti examinandas.

§. I.

Vera sententia D. Thomæ.

14 **D**icendum est, contradictionem involvere peccatum mortale personale sola extrinseca condonatione Dei remitti. Et probatur auctoritate D. Thom. tum in præf. quest. 113. art. 2. ubi in corp. articuli sic concludit: *Et ideo non potest intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ*; sed iuxta eundem Angelicum Doct. 1. part. quest. 25. art. 3. id, quod contradictionem implicat, nullus intellectus concipere valet: vel, vt inquit quodlib. 9. art. 1. quod mente concipi non potest, si ipsi est repugnans: ergo iuxta mentem D. Thom. repugnat, per omnem potentiam, quod peccatum mortale personale remittatur per solam condonationem extrinsecam. Idem docet ibidem ad 1. his verbis: *Licet homo antiquam peccet, potuerit esse sine gratia, & sine culpa; tamen post peccatum non potest esse sine culpa, nisi gratiam habeat.*

Hæc tam aperto testimonio respondent dupliciter PP. Societatis. Primò, D. Thom. loqui in illo articulo de remissione culpæ, quæ simul est iustificatio. Et ita inquit in eo: *Utrum ad remissionem culpæ, quæ est iustificatio, requiratur, infusio gratiæ?* Et resolutio illius est, ad remissionem culpæ, quæ est iustificatio, requiritur infusio gratiæ. Quod non negant recentiores Societatis, sed tantum dicunt posse dari remissionem culpæ per extrinsecam condonationem, quæ non sit iustificatio. Et ita non opponuntur Div. Thomæ. Secundo respondent, D. Thom. loqui de remissione culpæ in hac providentia.

Sed ab hac vltima expositione incipiendo, ex dictis suscipi non valet. Nam quod contradictionem involvat, in nulla providentia, per nullamque potentiam potest fieri; sed iuxta prædicta D. Thom. talis omnia importat con-

traditionem, quod fiat remissio culpæ sine infusione gratiæ: ergo in nulla providentia potest hoc fieri iuxta D. Thom. Minor probatur; nam quod non cadit sub conceptione intellectus, iuxta D. Thom. & iuxta veritatem, contradictionem importat, & inter impossibilia connumerari debet, siquidem obiectum intellectus est ens possibile in omni sua amplitudine, sed iuxta D. Thom. non cadit sub conceptione intellectus, quod fiat remissio culpæ sine infusione gratiæ: ergo importat contradictionem in sententia D. Thom. quod fiat remissio culpæ absque infusione gratiæ.

Deinde refellitur prima expositio. Nam licet D. Thom. inquit in titulo articuli de remissione culpæ, quæ est iustificatio, absolute tamen, & sine vlla restrictione negat posse intelligi remissionem culpæ absque infusione gratiæ (recolatur totus articulus) ergo iuxta eius mentem impossibile est remissio culpæ, quæ non sit iustificatio, vel dabilis non est remissio culpæ sine infusione gratiæ. Adde: Quia D. Thom. perpetuo tradit, peccatum mortale non posse remitti sine infusione gratiæ. Et ita 3. part. quest. 62. art. 6. ubi inquit: *an sacramenta veteris legis gratiam causarent*; in responsione ad 3. hæc habet verba: *Quidam dixerunt, quod per circumcissionem non conferebatur gratia, sed solum auferbatur peccatum. Sed hoc non potest esse: quia homo non iustificatur à peccato nisi per gratiam.*

Tum etiam, & vrgentiùs quest. 28. de Verit. art. 2. ubi inquit: *Nam peccatorum remissio potest esse sine gratia?* Et respondet: *Dicendum; quod remissio peccatorum nullo modo sine gratia gratum faciente esse potest. Ad cuius evidentiam &c.* (quæ verba notanda sunt in moderatione D. Thom.) & reddens rationem dicit: *Tria sunt, ratione quorum sine gratia remissio peccatorum fieri non potest, averfio, offensæ, reatus: Non potest prædicta averfio removeri, nisi fiat coniunctio: Hæc coniunctio non est nisi per gratiam.* Huic testimonio totaliter succumbit Marin in hoc tract. disp. 4. sect. 2. num. 43. Et omnes debent succumbere: quia non relinquit recursum ad aliam providentiam aliàs non esset evidens, in præfenti providentia remissionem culpæ fieri per infusionem gratiæ, sed solum esset certum de fide, vt ipse Marin rectè arguit. Maximè, quia Div. Thom. prædicto loco addit: *Unde ad sanandam prædictam averfionem requiritur gratiæ, & charitatis infusio: sicut ad sanationem cæcitatatis requiritur restitutio potentiæ visivæ, sed in nulla providentia cæcitas potest tolli per favorem extrinsecum: ergo nec macula peccati mortalis.*

15 Deinde probatur nostra conclusio ratione fundamentali, ad quam alix, si vim habent, reducendæ sunt. Nam homo post peccatum

actuale manet habitualiter physice, & intrinsece maculatus, averfius à Deo, dignus odio Dei, & pena æterna; sed implicat hæc denominationes auferri per favorem tantum extrinsecum: ergo etiam implicat, peccatum habituale auferri per solum favorem extrinsecum. Consequencia est legitima: nam qualibet forma eodem modo auferretur, ac effectus formales illius. Maior potius debet supponi, quam probari, cum ex alibi dictis constat, peccatum habituale consistere in privatione voluntariæ gratiæ inducta per peccatum actuale, cuius præcipuus effectus est reddere hominem habitualiter maculatum, averfium à Deo &c. sicut præcipuus effectus gratiæ est reddere immaculatum, seu iustum, conversum habitualiter ad Deum, & dignum amicitia Dei, & gloriæ æternæ.

Minor verò, quæ impræfentiarum tantum habet difficultatem, suscedit primo: Nam denominatio intrinseca nequit tolli absque eo, quod principium illam conservans deficiat; sed principium conservans prædictas denominationes nequit tolli per favorem tantum extrinsecum: siquidem hoc principium non est Deus, cum Deus nequeat conservare, sicut nec efficere aliquid mali moralis, sed tantum est actus præteritus moraliter perseverans, quia non retractatus, qui non potest destrui, nisi adhibeatur retractatio ex parte ipsius peccatoris, vel formalis, vel virtualis, vel emiens: ergo implicat prædictas denominationes destrui per favorem tantum extrinsecum.

Probatur secundo eadem minor: Nam prædictæ denominationes intrinsece nequeunt auferri, nisi suspendendo concursum conservativum formæ tribuentis prædictas denominationes, vel producendo formam incompossibilem cum prædicta forma, vt cernere licet in alijs denominationibus physicis, siue privativis, siue positivis; atqui Deus primo modo non potest auferre prædictas denominationes, sicut nequit conservare formam, à qua proveniunt, vel adsummum potest suspendere suum concursum conservativum subiecti, quod est maxima, & intrinseca mutatio: ergo restat, quod Deus producat formam intrinsecam impossibilem, per quam peccator ipse vel formaliter, vel virtualiter, vel eminenter retractat formam causativam talium denominationum.

Confirmatur. Nam eatenus posset homines tales denominationes deponere absque mutatione intrinseca, vel infusione doni supernaturalis, quatenus Deus discederet eum non punire, vel condonate penas debitas peccato, non infundendo aliquid donum; sed hoc asserere est frivolum: ergo impertinens est recursum adversariorum ad decretum de non punitione, vel condonatione. Minor probatur: nam aliud est Deum non conferre penas, quarum sunt digna peccata, aliud verò ipsa destrui; sicut aliud est

est meritum intrinsecum, & aliud decretum de non conferendo premio; sed est Deus haberet decretum de non premiandis meritis nostris, non propterea tollitur condignitas illorum ad premium: ergo pariter licet possit decernere non punire peccata, vel ea condonare, non idcirco peccata ipsa deleterentur. Unde (ni fallor) ad-versarios in hac parte video hallucinatos, dum ex ablatione reatus completivi, seu extrinseci, qui consistit in deputacione Dei ad poenam ob peccatum, inferunt posse deleri reatum intrinsecum, qui non distinguitur ab ipso peccato, sed est ipsum ut sollicitans talem deputacionem. Pro quo videantur quae diximus tract. de Peccat. disp. 3. à num. 1. Quibus accedit decretum Pij V. & Gregorij XIII. damnans inter alias propositiones Michaëlis Baij propositionem in ordine 53. quae erat huiusmodi: *In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad poenam. Unde in sacramento baptismi, aut Sacerdotis absolute proprie reatus peccati damnatæ tollitur, & ministerium Sacerdotis solum liberat à reatu.* Sub qua damnatione cadit opinio Scoti, ut sentit Vazquez disp. 139. cap. 2. nisi recurrat ad reatum intrinsecum iam infusum, ut illum exponunt aliqui eius discipuli.

Similiter condonatio aut non condonatio macula peccati intrinseci considerata, nihil de peccato participant, cum sint actus Dei, ac proinde optimi. Unde quamvis, stante non condonacione, peccatum perseveret, & destruat eam postea, eo est, quia condonatio secum trahit infusionem intrinseci doni in peccatore (est enim decretum de infundenda hac, vel illa gratia) & non condonatio impedit tale decretum, & consequenter eius effectum, quo non posito perseverat intrinsecum peccatum. Sicut cernere licet in potentia peccandi: quam, si Deus vellet destrucere in natura Petri; necessitaretur, vel ad conferendam ei gratiam consummatam cum visione beata, vel ad vniendam illam sibi in vniuersitate personæ: quin imaginari possit, potentiam peccandi constitui adhuc inadæquate per non collationem gratiae consummatæ, nec destrui formaliter per collationem activæ, sed per formas intrinsecas ipsi naturæ. Pariter ergo debet disceri in præsentia casu.

16. Quæ doctrina perspecta occluditur via pluribus evasivis. Nam sicut inintelligibile est Deum auferre potentiam peccandi nisi per formam intrinsecam vniuersalem indefectibiliter naturam defectibilem cum prima regula, quamvis multiplicet decreta, & instituat mediatorem, ob cuius præclara merita possit se movere ad ita decernendum; sic nec poterit absque forma intrinsecæ peccatum delere, quod semel contractum ita intrinsecè inhaeret peccatori sicut potentia peccandi.

Idem delituitur omni vi evasio Suarez. Nam est Deus suo decreto præcaverit possit, ut non contrahatur peccatum, vel disponendo non constituitur hominem in occasione peccandi, vel non intimidando ipsi præcepta, quæ scit esse transgressurum, quo eventu non peccaret homo, nam sine lege non est peccatum; vel tandem non illum elevando ad finem supernaturalem, quo casu non peccaret saltem directè contra illum: Tamen, eo contracto, non apparet caput, ex quo deleri possit absque mutatione intrinsecæ peccatoris; siquidem, urgente præcepto tempore transgressionis, non auferitur transgressio per hoc, quod postea desinat obligare: ut liquet evidenter in vovente servare castitatem hoc anno, qui si hoc anno illud infringit, non tollitur culpa per hoc, quod perveniat ad sequentem, in quo non obligatur cum voto ad eam; aliàs naturaliter fieret remissio, & non per gratiam intrinsecam adhuc in præsentia providentia.

Eo vel maxime: quia non est assignabile tempus, pro quo homo non obligetur ad non peccandum: quia cum peccatum importet formalem aversionem directam, vel indirectam à Deo ultimo fine naturali, & supernaturali, & Deus dispensare nequeat in eo, quod tales aversiones non dicant deformitatem, sicut nec quod peccatum illam non dicat, aliàs posset se desere, quod est chimericum, non est assignabile tempus, in quo talis aversio voluntaria non sit peccatum, nisi relinquendo eam in ratione negationis, vel libenter concedimus Suariorum & alijs adversarijs; sed hoc nequit fieri absque intrinsecæ mutatione peccatoris: siquidem necessarium est tollere ab ea voluntarietatem, quod Deus exequi non valet, nisi infundendo formam quæ formaliter, vel eminenter eam retractat: ergo absque mutatione intrinsecæ peccatoris nequit tolli peccatum. Quod si adversarij contendunt talem retractationem fieri posse absque prædicta mutatione, nullatenus acquiescimus, dummodò non ostendatur nobis: quod reputamus impossibile.

17. Ex huiusmodi dictis facile vincitur contra Vazquez, & Lorcam, remissionem peccati originalis, in eo qui illud semel contraxit, non posse fieri adhuc divinitus absque intrinsecæ mutatione illius. Ita D. Thom. loco supra relato ex 3. part. & quest. 70. art. 4. Et ratio est eadem: siquidem de fide est, iuxta decretum Trident. sess. 5. can. 3. quod peccatum originale inest vnicuique proprium, & intrinsecum, per quod homo manet maculatus intrinsecè, aversus à Deo, & pena aeterna damni dignus, non minus proprie ac per peccatum habituale personale: ergo si prædictæ denominationes, prout sunt effectus peccati personalis, non possunt tolli nisi per aliquam mutationem intrinsecam, ut nobiscum concedunt prædicti Authores, pariformi-

ter nequeunt tolli, prout sunt effectus peccati originalis.

Nec prodest discrimen ab eis intentum, nempe peccatum originale dependere à pacto Dei cum Adamo, quod potuit restringi ad mille annos præcisè, in quo eventu, sicut transacto prædicto tempore posteri illius non contraheret peccatum originale, ita carentia gratiæ in his, qui peccatum originale contraxissent, esset præcisè negatio.

Non, inquam, prodest. Tum quia iam variant statum difficultatis præsentis, & nobis concedunt, quod, supposito pacto Dei cum Adamo, nequit peccatum originale remitti absque intrinsecæ mutatione peccatoris. Tum etiam: nam (ut supra impugnavimus Suarium) peccatum personale semel contractum non tollitur per hoc, quod homo perveniat ad tempus, in quo non obligat lex: quia, eo ipso quod contrahatur, semper est terminus voluntarius peccati actualis, & semper permanet sub ratione privationis voluntariæ, usque dum formaliter, vel eminenter peccatum præteritum retractetur: ergo si Vazquez, & Lorca hoc concedunt, etiam tenentur concedere, quod carentia gratiæ, in qua peccatum originale consistit, habet rationem privationis, si semel fuit privatio, dum primo contractum est.

§. II.

Opinio contraria cum suis fundamentis.

18. Contra nostram assertionem arguitur primò. Nam peccatum habituale nihil aliud est, quam actio præterita moraliter permanens, sive in obligatione satisfaciendi, sive quoad effectum redendi hominem maculatum, & dignum odio Dei; sed hoc potest tolli absque intrinsecæ mutatione peccatoris: ergo peccatum potest tolli absque intrinsecæ mutatione peccatoris. Maiorem supponunt adversarij. Et minor probatur: nam tandiu censetur peccatum permanere, quandiu censetur manere in Deo ius ad odio habendum peccatorem: ergo tot modis potest Deus remittere peccatum, quot potest cedere tali iuri; sed potest cedere iuri suo absque mutatione intrinsecæ peccatoris: nam nulla datur implicatio in eo, quod Deus per solam suam voluntatem cedat iuri acquisito per peccatum ad puniendum in aeternum, & ad exigendam satisfactionem, necnon ad odio habendum peccatorem, sicut nec in eo, quod cedat iuri suo ad exigendam rem promissam per votum: ergo peccatum habituale, secundum ea, quæ retulimus, potest tolli absque mutatione intrinsecæ peccatoris.

Confirmatur. Nam perseverantia moralis peccati physice præteriti dependet à voluntate Dei ad hanc sententiam, quia liberè potest infun-

dere gratiam, qua moraliter destruat: ergo potest per solam suam voluntatem tollere talem perseverantiam. Patet consequentia: sicut quia perseverantia moralis peccati quoad effectum reatus, & dignitatis ad poenam temporalem pendet à voluntate Dei, potest illam tollere per solam suam voluntatem. Et idem de voto quoad obligationem.

Ad hoc argumentum, quod in falsa suppositione fundatur. Respondetur negando maiorem: quia peccatum habituale non consistit in actuali peccato præterito moraliter perseverante adhuc cum obligatione satisfaciendi, sed in privatione voluntariæ gratiæ, quatenus connotat peccatum actuale non retractatum, & fundat prædictam obligationem. Et totum hoc constat à paritate peccati originalis, quod iuxta Sacrosanctum Concilium Trident. loco supra relat. importat aliquid intrinsecum physice parvulus efficiens, & reddens hominem intrinsecè, physiceque maculatum, dignum odio Dei, & fundans obligationem ad poenam aeternam, seu satisfactionem; & certè peccatum actuale personale non habet minorem vim ad producendum physice aliquid intrinsecum, per quod homo reddatur maculatus &c. Hinc etiam constat falsitas minoris, cuiusque probatio: Nam licet possit Deus per solam suam voluntatem cedere iuri suo quoad puniendum peccatorem in aeternum, & exigendam ab eo satisfactionem, quia hæc pendet à deputacione extrinsecæ Dei, nequit tamen cedere iuri suo quoad odio habendum peccatorem, quia hic effectus pendet essentialiter ab illa macula intrinsecæ, quam Deus per solam suam voluntatem suam nequit auferre. Unde sicut Deus manet omnino necessitatus ad hominem diligendum, ex suppositione quod sit in gratia Dei, ita est omnino necessitatus ad illum odio habendum, ex suppositione quod habeat prædictam maculam.

Ad confirmationem respondetur ex dictis n. 15. concedendo antecedens; & negando consequentiam. Nam aliud est, quod perseverantia peccati non possit tolli sine voluntate Dei; aliud verò quod possit tolli per solam voluntatem divinam extrinsecè tantum illud condonantem: primum est verum, & ab omnibus inegabile; at secundum est omnino falsum: sicut perseverantia cæcitatatis non potest tolli sine voluntate Dei, sed nec potest absolute tolli, nisi infundat per suum actum potentiam visivam. Cum ergo homo per peccatum habituale maneat non minus intrinsecè physice maculatus, quam intrinsecè physice cæcus, nequit reddi non maculatus nisi per formam intrinsecam productam per actum voluntatis divinæ. ¶ Nec duo illa exempla aliquid vincunt. Non primum, de perseverantia morali peccati quoad reatum ad poenam temporalem: Nam hic reatus partim pendet ex deputacione extrinsecæ Dei, & partim ex per-

manantia præcisè morali conversionis ad bonum commutabile. Et ex neutro capite repugnat, quòd tollatur per aliquid extrinsecum: non ex primo, vt ex se liquet: nec ex secundo, quia denominatio præcisè moralis potest tolli per formam tantum extrinsecam. Votum etiam (quod erat secundum exemplum) non dependet adæquate à voluntate, sed etiam à Deo acceptante; vnde sicut à principio Deus potest illud non acceptare, ita potest illud acceptare ad tempus; & hac ratione cessabit eius obligatio sine mutatione intrinseca videntis. At macula habitualis peccati vnice dependet ex actu peccati præteriti, & durat, quantum est ex se, sine vlla limitatione, ita intrinsece, & physice redit hominem maculatum, & dignum odio Dei: & propterea nequit tolli per solam voluntatem extrinsecam Dei.

19 Arguitur secundò. Nam vnus homo potest alteri remittere offensam absque infusione formæ intrinseca: ergo etiam Deus. Probatur consequentia: ideo antecedens est verum, quia homo sine forma intrinseca potest deponere odium conceptum ex offensa, & velle se gerere cum offendente, ac si non esset offensus; sed etiam Deus potest deponere odium conceptum ex offensa, & velle se gerere cum homine, ac si non esset offensus sine forma intrinseca: quia Deus non est minus liber, nec habet minus dominium quam homo: ergo.

Ad hoc argumentum, in quo præcipuam vim ponunt aduersarij, facile responderet, quòd sicut in offensa hominis contra Deum datur iniuria, quæ fundat ius proximum ad satisfactionem, & datur inordinatio actualis, & habitualis cum regulis morum; ita in offensa vnus hominis contra alium datur iniuria fundans ius in offensa ad exigendam satisfactionem, & datur inordinatio contra legem. Et sicut asserimus, quòd ad tollendam inordinationem, quæ est fundamentum iniuriæ Deo irrogata, est necessaria mutatio intrinseca ex parte offendentis; ita dicimus, quòd inordinatio, quæ est fundamentum iniuriæ, seu offensa alteri homini irrogata, non potest auferri sine mutatione intrinseca offendentis. Est tamen quoad offensam magnum discrimen inter offensam passivam Dei, & offensam passivam hominis, quòd homo potest simpliciter diligere suum offensorem, absque eo quòd ponat in eo aliquid intrinsecum, & sic potest remittere ius exigendi satisfactionem, quamvis offensor voluntatem non retractet, & deordinationem non deponat: Deus verò nec potest tollere deordinationem, nisi mediante aliqua forma intrinseca, nec potest in sensu composito illius diligere simpliciter peccatorem; & ob hanc disparitatem non potest remittere offensam quoad dignitatem intrinsecam ad satisfactionem. Huius discriminis est evidens signum; nam stat, quòd vnus homo remittat alteri offensam, etiam

offendens perseveret in odio contra offensum. Repugnat tamen in omnium sententia, quòd Deus remittat offensam, dum offendens est in actuali odio contra Deum. Ex quo potest argumentum efficaciter retorqueri contra aduersarios: nam ideo Petrus offensus potest remittere Paulo offensam adhuc in sensu composito offendens actualiter, quia ad remissionem talis offensa non requiritur, quòd Petrus ponat in Paulo aliquid intrinsecum, per quòd tollatur offensa: sed Deus non potest remittere offensam, dum homo actu perseverat in odio Dei: ergo eò est, quia Deus non potest remittere offensam, quin producat aliquid intrinsecum, quo impediat, ne homo actu perseveret in odio Dei: aliàs cohereret simul, quòd homo perseveraret in actuali odio Dei, & Deus illi remitteret offensam, sicut cohereret, quòd Paulus actu offendet Petrum, & Petrus remittat illi offensam.

20 Arguitur tertio: Deus defacto remittit peccatum per formam tantum extrinsecam: ergo potest illud remittere per extrinsecam condonationem. Antecedens probatur: nam in sententia Thomistarum Christus ex rigore iustitiæ satisfecit pro nobis, ita ut Deus sit obligatus ex iustitia ad acceptandam pro nobis eius satisfactionem, & ad dandam nobis gratiam, supposita applicatione Christi; sed eo ipso remittit offensam per formam extrinsecam: ergo Deus defacto remittit peccatum per formam extrinsecam. Minor probatur: nam in prædicta suppositione peccatum est remissum pro priori ad infusionem gratiæ, sicut pro illo signo est solum omne debitum; ergo est remissum peccatum per formam extrinsecam.

Roboratur hoc. Nam pro illo signo, quo Deus ex iure creaturæ non potest se gerere vt offensus erga creaturam, est formaliter remissum peccatum; sed pro priori ad infusionem gratiæ Deus ex iure creaturæ non potest se gerere vt offensus: ergo pro priori ad infusionem gratiæ iam est remissum peccatum. Minor probatur: pro illo signo, quo Deus est obligatus ex iustitia ad non fegerendum vt offensum erga creaturam, non potest se gerere vt offensus erga illam; sed pro priori ad infusionem gratiæ Deus est obligatus ex iustitia ad non se gerendum vt offensum: siquidem pro illo priori datur satisfactio Christi, eius applicatio, necnon acceptatio ex parte Dei, cuius effectus est infusio gratiæ: ergo pro priori ad infusionem gratiæ non potest Deus se gerere vt offensus.

Hoc argumentum imprimis non militat contra præsentem assertionem, sed contra assertionem secundam dubij præc. Deinde opponitur manifestè decreto Trid. relato num. 3. vt recolenti ibi dicta constabit. Aliunde ruinosum est ex multis capitibus. Primum, quia non distinguit prioritatem satisfactionis Christi respectu remissionis culpæ, & infusionis gratiæ. Secundò, quia

quia debet distingui inter applicationem Christi quoad sufficientiam, & quoad efficaciam, & non distinguit. Tertio, quia non commemorat tempus, pro quo applicatur passio, & satisfactio Christi, & acceptatur à Deo quoad sui efficaciam.

Et ex defectu horum delimitatur omni vt prædictum argumentum. Siquidem satisfactio Christi licet materialiter, & in esse entis præcesserit plurima peccata, non verò causat remissionem illorum, nisi inquantum causat satisfactio, & meritorie gratiam remissionem peccati, & offensa; aliàs in eodem instanti, quo peccatum committitur, remitteretur, & antea; quòd est chimericum. Unde eadem satisfactio non applicata fuit à Christo efficaciter, nec à Deo efficaciter acceptata, nisi pro instanti quo gratia infunditur, & peccatum remittitur: & ita tantum dicitur prioritate à quo, & similem ei, quam actus diuini remittens peccatum, & causans gratiam dicit respectu infusionis gratiæ, & remissionis culpæ. Nec aliter satisfactio Christi ab eo applicatur, & à Deo acceptatur ad remissionem peccati, nisi quatenus applicatur prius, & acceptatur ad productionem gratiæ, media qua debet fieri remissio ex rigore iustitiæ, & solvi debitum quoad penam æternam, & satisfactioem æqualem. Cuius signum est, quòd licet prædicta satisfactio sit superabundans, adhuc in multis non remittitur tota pena, Deo & Christo decentibus, quòd remissio non fiat nisi dependenter à satisfactioe tali quali peccatoris, ac proinde dependenter à mutatione intrinseca illius.

21 Arguitur quartò. Nam quoties duo ita sunt opposita, vt inter ipsa detur medium, potest vnum deficere, quin existat aliud; sed gratia, & peccatum ita sunt opposita, vt inter ipsa detur aliquod medium; ergo potest destrui peccatum, quin existat gratia. Minor constat nam inter gratiam, & peccatum mediatur status naturæ puræ. Et maior, in qua potest tantum esse difficultas, probatur: nam quia inter calorem, & frigus datur medium, potest destrui per potentiam Dei absolutum frigus, quin existat calor: item quia inter peccatum, & gratiam datur medium, potest destrui gratia, quin existat peccatum: tandem defacto remittit Deus Adamo peccatum originale, quin remittit iustitiam originalem: ergo quoties duo ita sunt opposita, vt inter ipsa detur medium, potest vnum destrui, quin existat aliud.

Confirmatur. Nam, vt deletur peccatum, sufficit hominem transire de peccatore in non peccatorem; sed hic transitus potest fieri sine dono intrinseco: ergo potest remitti peccatum sine dono intrinseco. Minor probatur: nam non esse peccatorem potest separari à gratia, vt contingeret in statu naturæ puræ: item non esse sanctum potest separari ab esse peccato-

rem, vt accideret, si Deus auferret gratiam sine peccato, vt potest: item non esse frigidum potest separari à non esse calidum: ergo etiam homo potest transire de peccatore in non peccatorem sine gratia.

Confirmatur secundò: Quia potest Deus annihilare hominem existentem in peccato, & postea reproducere illum sine gratia; sed non reproducere illum cum peccato: ergo potest homo transire de statu peccatoris ad non esse peccatorem, sine gratia intrinseca. Maior est certa. Et minor probatur: quia aliàs Deus esset causa peccati, qua ratione probant nostri Thomistæ Angelum non peccare in primo instanti, quia prima operatio est à Deo: ergo non potest reproducere illum cum peccato.

Confirmatur tertio. Peccatum potest auferri sine quolibet dono intrinseco determinato: ergo sine omnibus. Antecedens est certum: quia potest tolli sine gratia, cum possit auferri per vnionem hypostaticeam, & in probabili aliorum sententia per visionem beatificam, & per actum charitatis: & potest tolli sine vnione hypostatice, & sine visione beata, & actu charitatis, cum possit tolli per gratiam habitualem. Consequentia verò probatur: tum quia semel, quòd peccatum non petat destrui per aliquod donum intrinsecum determinatum, eò est, quia non opponitur ei immediate; sed, sublata oppositione immediata, potest tolli sine vilo dono intrinseco: ergo. Tum etiam: quia extrinseca condonatio etiam est incompossibilis cum peccato: ergo per eam solum potest tolli, sicut per gratiam, aut vnionem hypostaticeam &c.

Ad argument. responderet, duo in hac re esse certa. Primum, quòd absolute non sunt immediate opposita gratia supernaturalis intrinseca, & peccatum, cum possit dari status medius, videlicet status naturæ puræ, vt rectè suadet argumentum. Secundum est, quòd datur medium inter peccatum, & gratiam, v. g. habitualem, cum possit dari status medius, scilicet homo cum vnione hypostatice, & sine peccato, vt supponit vltima confirmatio. Sed non minus certum est, quòd, supposita elevatione hominis ad finem supernaturalem, non datur medium inter peccatum, & aliquam gratiam supernaturalem, hanc, vel illam; sicut non datur medium inter non videre absolute, & videre per hunc, vel illum oculum indeterminatè. Et ita D. Thom. in præf. art. 2. ad 1. ait: Licet homo, antequam peccet, potuerit esse sine gratia, & sine culpa; tamen post peccatum non potest esse sine culpa, nisi gratiam habeat. Idem ad huc expressius docet quæst. 28. de Verit. art. 2. ad 5. vbi distinguit duplicem statum naturæ puræ, & elevatæ. Et ratio huius est: quia peccatum in statu elevationis consistit in privatione voluntaria gratiæ, quæ non potest tolli, nisi per ipsam gratiam habitualement, vel per

aliud donum retractans voluntarietatem illius quod facit vno hypostatica, visio beatifica, actus charitatis: & si hæc darentur sine gratia habituali, tunc daretur carentia illius in ratione pura negationis ex defectu voluntarietatis.

Per quod constat ad tria illa exempla. Ad primum enim dicimus, quod inter calorem, & frigus in omni eventu, & pro omni statu tantum datur, oppositio mediata: & aliunde sicut vnuquodque dependet à Deo in *conservari* etiam dependet in *non conservari*: ideoque per hoc præcisè, quod suspendat Deus suum concursum conservativum caloris, deficiet calor, quin opus sit, quod producat frigus. At peccatum habituale consistens in privatione gratiae non dependet in *conservari* à Deo, sed præcisè à peccatore: ideoque non potest tolli, nisi tollatur conservatio peccatoris, & hæc non potest tolli nisi per eius retractationem intrinsecam ratione alicuius doni à Deo infusi. Per quod patet ad secundum exemplum: Nam cum gratia in sui conservatione dependeat à Deo, potest suspendi concursus conservativus, & ita gratia tolli, quin peccatum existat. Oppositum contingit in peccato, vt proximè diximus: ideoque non potest tolli per non conservationem Dei. Ad tertium exemplum dicimus, quod peccatum originale Adamo non fuit remissum nisi per restitutionem iustitiæ originalis quoad constitutum cuius primarium, videlicet per gratiam habitualem, in eius privatione voluntaria consistebat, sicut alia peccata habitualia personalia. Ex his iam constat ad primam confirmationem, quin opus sit pro ea enodanda aliquid addere.

Ad secundam responderi potest primò cum Greg. Martinez, Arauxo, Montefinos, Ioanne à S. Thoma, Goner, Ferre, & alijs concedendo totum assumptum. Sed nihil inde contra nos: vel quia debet supponi peccatorem permanere, in qua suppositione procedit dubium. Vel quia nulla maior mutatio excogitari valet, quam transitus ab *esse* ad *non esse* simpliciter illius, qui peccavit. Sicut aër nequit non esse aut tenebrosus, aut lucidus; sed si non est, nec est tenebrosus, aut lucidus. Secundò potest responderi cum NN. Salm. in præf. disp. 2. num. 175. & tract. de Peccat. disp. 14. num. 91. Medina, Serra, Ioanne Martinez de Prado tom. de Penit. dub. 5. super quæst. 86. tertiae partis num. 65. quòd si homo reproduceretur idem numero, vt debet supponi, esset infectus eodem numero peccato, non ab actione Dei reproducto, sed à suis causis, quæ ex vi sua essent potentes inducere illud, licet per tempore annihilationis essent impeditæ illud præstare. ¶ Et si quis querat, à quo reproducerit macula illius peccati? Respondendum est resultare ex peccato

actuali præterito non retractato, & moraliter permanente in abominatione divina. Vel dicas, quòd cum homo ille reproduceretur cum carentia gratiae, vt supponitur, & hæc ex terminis non petat terminare actionem Dei sicut nec pura negatio visus in lapide; & aliàs connotaret voluntarietatem peccati actualis nondum retractati, quod est fundamentum prædictæ carentiæ voluntaria, illa carentia esset vera averfio voluntaria illi homini, quia non retractavit prædictum peccatum. Nihil horum contingit in prima actione Angeli, & propterea Deo tribueretur, si esset peccaminosa, quia esset prima, & propterea Angelus non potest peccare in primo instanti. Nec nos latent non nullæ obiectiões, quibus Ferre impugnat in præf. num. 896. prædictam solutionem. Sed eas omitimus, vel brevitatis causa, vel quia ritè intellecta haud difficile evanescent, vel quia manet recursus ad primam.

Ultima confirmatio potius est digna admiratione, quam solutio. Quis non mirabitur Curielem, cuius est, alias virum doctissimum, convinci argumento, quod vel ipsi Dialectici inefficax norunt. Vale enim, ad videndum *non requiritur oculus dexter*, quia solo sinistro potest videri, nec requiritur *oculus sinister*, quia dextero potest videri: ergo nullus oculus requiritur ad videndum? Neutiquam. Quod alijs per multis exemplis, tam in naturalibus, quam in supernaturalibus confirmari valet. Pariter ergo dicimus, quod licet averfio peccati possit auferri sine hoc, vel illo dono intrinseco determinato, nequit tamen tolli sine vilo. Illud tamen, per quod tolli debet, debet etiam retractare, vel directe, vel indirecte, vel formaliter, vel virtualiter, vel eminenter peccatum præteritum, & positum huiusmodi retractatione, quamvis maneret carentia gratiæ, solum haberet rationem puræ negationis in linea morali.

Ultimò solet argui à paritate peccati venialis, & à paritate peccati lethalis in statu naturæ puræ. Sed hæc dux paritates postulant speciale examen: quod fiet singillatim in duobus vltimis dubijs per modum appendix.

DUBIUM IV.

An aliqua hominis operatio sit, vel possit esse forma adequata, vel inadæquata expellens peccatum lethale?

EX DICIS tract. præf. disp. 2. dub. 3. sæpè relato liquet gratiam habitualem ita esse formam sanctificantem quoad effectum sanctitatis, seu renovationis, vt nulla alia forma creata possit esse, adhuc de potentia Dei absoluta, forma sanctificans quoad prædictum effectum, & alios positi-

vos

Dub. IV. An aliqua hominis operatio sit, vel possit esse forma &c?

vos ibi relatos. Ex dicis etiam in dub. 2. huius disp. constat, gratiam habitualem esse formam expulsiivam peccati lethalis, saltem inadæquatam. Superest tamen examinare, an sit forma adæquata expellens peccatum, & an per potentiam Dei absolutam possit dari hypothesi, in qua alia forma creata possit independentè à gratia habituali expellere peccatum? Pro cuius facilliori resolutione, & tituli intelligentia aliqua notanda sunt, & alia supponenda, in quibus conveniunt Authores.

§. I.

Notationes nonnullæ, & suppositiones.

22 Nota primò, peccatum lethale esse duplex: aliud originale originale, vt peccatum parvulorum; aliud personale, & est illud, quod homo actualiter propria operatione committit, & expellit gratiam habitualem. De vtroque procedit dubium, sed claritatis gratia solum loquemur de peccato personali, momentis lectorem, quòd omnia dicenda applicari debent peccato originali.

Nota secundò, peccatum personale mortale esse duplex: aliud actuale, & alterum habituale. Actuale non est formaliter, nisi dum actu committitur: habituale verò est ad modum rei permanentis, & verè constitutis statum. Hoc autem plura mala inducit formaliter, nempe averfionem habitualem voluntariam à Deo vltimo sine supernaturali (loquimur de præsentis statu hominis elevati ad finem supernaturalem) ex hæc resultant offensæ passivæ moralis in Deo, & in vtraque perseverat moraliter peccatum actuale, præter alios effectus qui pertinent ad rationem penæ, vel dicunt pro expresso relationem ad illam. Pro quo:

23 Supponendum est primò, formam aliquam creatam præter gratiam habitualem esse defecto formam expellentem peccatum actuale formaliter v. g. dum quis extra sacramentum iustificatur medio actu charitatis, aut contritionis, prædictus actus excludit formaliter peccatum actuale, prout perseverat in habituali. Et ratio est clara: nam vnaquæque res expellitur per suum directum oppositum; atqui actus charitatis, vel contritionis directè opponitur peccato actuali mortali: siquidem hoc dicit formaliter intransitive conversionem actualem ad bonum commutabile, & averfionem actualem à Deo vltimo sine, & actus charitatis conversionem actualem ad ipsum Deum vltimum finem: ergo peccatum actuale mortale directè expellitur per actum charitatis. ¶ Et confirmatur. Nam quando generatur ignis, & corrumpitur lignum, ita forma ignis directè expellit formam ligni, quòd calor vt octo expellat formaliter directè quencunque gradum frigiditatis, qui erat in

ligno, & siccitas vt octo omnem gradum humiditatis, non alia ratione, nisi quia in eodem instanti, in quo ignis cum suis vltimis dispositionibus generatur forma, etiam ligni cum suis dispositionibus connaturalibus corrumpitur, & vnaquæque forma debet expelli directè per formam directè sibi contrariam: ergo cum in instanti iustificacionis non solum expellatur averfio habitualis à Deo vltimo sine, quæ consistit in carentia gratiæ, sed etiam averfio actualis, quæ consistit in actu peccati, vt moraliter seu virtualiter perseverat in averfione habituali, & cum hæc averfio actuali nihil directè opponatur, quam conversio actualis ad Deum per actum charitatis; planè inferitur, actum charitatis defecto expellere formaliter, & directè peccatum actuale, vt moraliter seu virtualiter perseverans in habituali.

24 Supponendum est secundò, actum contritionis defecto tendere ad destructionem offensæ passivæ in Deo moraliter receptæ, non formaliter, sed effective. Prima pars suadet ex D. Thom. 3. part. quæst. 85. art. 2. in corp. ubi ait: *Manifestum est autem, quòd in penitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati, in quantum est offensæ Dei, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis; constat autem, potissimum actum penitentiae esse actum contritionis perfectæ: ergo iste actus tendit ad destructionem offensæ passivæ in Deo receptæ.* Secunda pars etiam probatur: nam prædictus actus nec formaliter recipitur in Deo, nec moraliter aliquid producit in Deo, ratione cuius formaliter removeatur offensæ, iuxta illud tritum axioma: *Offensa est in offenso, & honor in honorante: ergo tantum tendit ad destructionem offensæ per modum satisfactionis, aut meritæ; sed hoc pertinet ad genus causæ moralis efficientis: ergo non formaliter, sed tantum effective moraliter tendit ad destructionem offensæ.* Hoc perspicue docet Div. Thom. ibidem ad 3. his verbis: *Qualibet virtus specialis formaliter expellit habitum vitij oppositi: sicut albedo expellit nigredinem. Sed penitentia expellit omne peccatum effective in quantum operatur ad destructionem peccati.* Si verò queras, à qua forma expellatur formaliter offensæ? Respondetur expelli formaliter ab actu divino, quo producit simul gratiam & actum contritionis, & pacatur vltimate peccatori: nam eo ipso, quòd Deus gratiam infundit in homine, & gratum acceptumque facit, & movet peccatorem ad satisfactionem sibi possibilem, intuitu horum statim remittit offensam. Ex præfatis suppositionibus inferitur, præcipuum litigium in hac controversia esse circa expulsionem peccati habitualis, secundum id quod dicit in recto. Pro quo:

25 Supponendum est tertio, non quamlibet

bet

bet operationem supernaturalem esse sufficientem sive defecto, sive de possibili ad remittendum peccatum, proindeque actum fidei, & spei non posse directe, sive indirecte, sive adequate, sive inaduate esse formam expulsiuam peccati habitualis. Et ratio brevis, & perspicua est: quia actus illi, qui ex se nullam dicunt oppositionem cum peccato habituali, nullo modo, & in nulla providentia illud expellunt, aut expellere possunt; sed actus fidei, & spei nullam ex se dicunt oppositionem cum peccato habituali, cum peccator in sensu composito peccati illos eliciat, nec infallibiliter inferant expulsionem illius: ergo non sufficit quavis operatio supernaturalis ad expellendum peccatum habituale. Accedit, quod hæc propositio, *fides sine operibus sufficit ad iustificacionem, est damnata à pluribus Concilijs, & contra eam scripsit præcipue D. Iacobus in sua Epistola canonica.*

26 Hinc etiam supponimus quartò, contra Suarez tract. de Pœnit. disp. 9. sect. 5. & lib. 7. de Grat. cap. 22. num. 22. actum attritionis sufficientis ad valorem, & fructum sacramenti non sufficere adhuc de potentia Dei absoluta ad remissionem peccati mortalis extra sacramentum. Ita communiter Theologi, teste Prado 3. part. quæst. 86. dub. 5. num. 55. id est in tract. de Pœnit. Et probatur efficaciter: nam ad remissionem peccati requiritur immutatio intrinsicæ peccatoris, iuxta dicta dub. præc. & talis quæ tollat directè, vel indirectè aversionem à Deo ultimo fine; sed hæc nequit tolli per attritionem, quæ aliàs sufficit ad valorem, & fructum sacramenti: tum quia aliàs defectò tolleretur: tum quia non includit conversionem ad Deum ultimum finem, sicut nec dilectionem super omnia Dei finis supernaturalis: ergo non sufficit adhuc de potentia Dei absoluta ad remissionem peccati mortalis. Nec motivum, quo convincitur Suarez, est alicuius ponderis. Ideo enim sufficeret, quia est sufficiens retractatio, & quia dilectio Dei super omnia nequit expellere peccatum absque nova gratia, & misericordia, quæ potest applicari attritioni; sed utrumque est falsum: primum ut constat ex ratione proximè data: secundum, ut liquet dub. præced. & ex dicendis in hoc dub. assertionem 2. ergo.

27 Supponendum est quintò, nullam formam posse directè expellere peccatum habituale præter gratiam habituale. In hac suppositione conveniunt omnes Thomistæ, & quotquot asserunt peccatum habituale consistere in privatione voluntaria gratiæ. Et ratio est evidens: nam in prædicta sententia solum gratia habitualis directè opponitur peccato habituali: ergo solum potest directè auferri per eam. Consequentia est legitima: nam nulla forma potest expelli directè nisi per formam sibi directè oppositam: nam ta-

lis est modus expulsionis vnius formæ, qualis est modus oppositionis alterius.

28 Tandem supponimus, per vniõnem hypotasticam posse potentia Dei absolute expelli peccatum habituale: & tunc accideret, quando personalitas divina vniõnetur naturæ creatæ peccato prius infectæ. Probatur breviter: tum quia implicatorium est, quòd peccatum perseveret, quando destruitur suppositum illud conservans, ob quam rationem diximus supra num. 21. peccatum habituale posse destrui per puram annihilationem subiecti; sed in prædicta hypotesthi destrueretur suppositum illud conservans: ergo etiam destrueretur peccatum ipsum. Tum etiam: nam illa natura sanctificaretur excellentiori modo, & per excellentiorem sanctitatem, quam per gratiam habituale: ergo si per hæc expellitur peccatum, etiam per vniõnem hypotasticam. Tum denique: nam non minus potens est ad expellendum peccatum habituale retractatio illius eminentialis, quam formalis; sed vniõ hypothesis est retractatio eminentialis peccati, cum contineat eminenter sanctitatem gratiæ habitualis: ergo si retractatio per gratiam habituale, quæ est formalis, est sufficiens ad expulsionem peccati habitualis, etiam retractatio per vniõnem hypotasticam. Unde totum litigium apud Authores solum potest esse circa actum charitatis, & contritionis perfectæ. Claritatis gratia tantum erit sermo de actu charitatis, quia quæ de eo dixerimus, intelligi debent de actu contritionis, cum illum præsupponat. His prælibatis, & suppositis circa præsentem controversiam.

29 Prima sententia defendit, actum charitatis defectò esse formam remissivam peccati habitualis. Ita Vazquez 1. 2. disp. 203. & præcipue 2. part. disp. 2. cap. 7. num. 62. quem sequuntur plures sodales, Hurtado, Alarcon, Meratius tom. 2. de Gratia disp. 12. Dicalillo de Pœnit. disp. 2. dub. 12. Antonius Perez disp. 6. de Iustif. & vitima de Charit. & alij.

Secunda docet, actum charitatis non dependere essentialiter à gratia, nec essentialiter connecti cum illa: proindeque possibile esse casum, in quo detur actus charitatis sine infusione gratiæ, & in hoc per actum charitatis expelleretur peccatum habituale. Pro qua referuntur Arauxo in præf. dub. 3. conc. 2. Greg. Martinez dub. 3. conc. 3. Zúmel disp. 2. dub. 5. Ioannes à S. Thom. disp. 27. art. 2. §. Sed adhuc inquirentes, Montes disp. 33. quæst. 6. §. 2. Prado de Pœnit. quæst. 86. dub. 5. §. 4. Godoy tom. 2. in 3. part. disp. 23. §. 3. & alij multi.

Tertia sententia censet, peccatum habituale non posse auferri per actum charitatis, sive dependeat essentialiter à gratia, sive non dependeat. Ita Valencia tom. 2. disp. 8. quæst. 5. punct. 5. in 2. eius part. Gonetus, quatenus tract.

tract. de Incarnat. disp. 12. art. 2. num. 46. cum frequentibus docet, actum charitatis non dependere essentialiter à gratia, & in præf. disp. 1. art. 4. §. 4. num. 88. & 101. asserit per nullam potentiam posse destrui absque infusione gratiæ habitualis. Quibus subscribit Ferrè in præf. quæst. 3. §. 5. & 10.

Ultima sententia sub distinctione procedit. Nam ex vna parte defendit, actum charitatis dependere essentialiter à gratia, proindeque in nulla hypotesthi esse formam remissivam peccati; sed ex alia docet, quòd si per possibile, vel impossibile daretur separatus à gratia, proculdubio sufficeret ad remissionem illius. Ita præter relatos pro secunda sententia late propugnant NN. Salmant. in hoc tract. disp. 2. dub. 6. per totum. Hanc vltimam sententiam suscipimus elucidandam, quam claritatis causâ fecimus in assertiones sequentes.

§. II.

Assertio prima circa providentiam ordinariam.

30 Dicendum est primò, actum charitatis defectò non expellere formaliter peccatum habituale. Hæc assertio est adeo certa, ut prima sententia relata num. præc. contra quam procedit, sit improbabilis, & temeraria, teste Duario tom. 1. in 3. part. disp. 4. sect. 8. Et 4. disp. 8. sect. 3. num. 7. dicit esse contra omnes Theologos. Et Tannerus tom. 2. disp. 6. quæst. 5. à num. 40. dicit esse novam, & singularem, parumque tutam in fide. Coninch. disp. 2. dub. 3. num. 23. asserit, quòd prædicta sententia non potest defendi. Sed quidquid sit de his, & alijs centuris opinionis contrariæ, à quibus præscindimus.

Probatur primò ex Trid. sess. 6. cap. 7. ubi postquam docet, iustificacionem non esse solum peccatorum remissionem, sed & sanctificationem, & renovationem interioris hominis, statim declarat causas illius; & perveniens ad causam formalem inquit: *Demum unica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit*: ergo iuxta mentem Concilij actus charitatis non est defectò forma expellens formaliter peccatum habituale, sed gratia habitualis.

Confirmatur. Nam Concil. in eadem sess. can. 3. definit ita: *Siquis dixerit sine preveniente Spiritus-sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, et ei iustificacionis gratia conferatur, anathema sit*: ergo supponit Concil. actum charitatis, & contritionis esse dispositionem ad hoc ut gratia iustificans, & emundans à peccato conferatur: ergo ipse actus non est defectò forma expellens

peccatum, sed iuxta Concil. tantum disponit ad formam expellentem peccatum. Idem colligitur ex sess. 14. cap. 4.

Deinde probatur ratione. Nam illa est forma adæquata defectò expellens peccatum, quæ est forma adæquata sanctificationis, & renovationis; sed gratia habitualis est forma adæquata sanctificationis, & renovationis: ergo etiam est forma adæquata defectò expellens peccatum. Minor supponitur ex dictis tract. præc. disp. 2. dub. 3. Maior vero, quæ impræfatiurum habet difficultatem, probatur: tum ex D. Dionys. lib. de divinis nominib. cap. 12. ubi definiens sanctitatem, sic ait: *Est libera, perfectaque munditia ab omni seclere*: ergo forma adæquata sanctificans, etiam debet esse forma adæquata expellens peccatum. Tum etiam: nam expulsio peccati est effectus privativus, & sanctificatio effectus positivus; sed effectus privativus supponit effectum positivum: ergo expulsio peccati procedit à forma sanctificante. Tum denique: nam prædictus effectus expellendi peccatum multo melius est per formam sanctificantem, quam per formam non sanctificantem. Qua probatione convictus ipse Vazquez disp. illa 203. num. 127. inquit: *Addendum tamen est, nunc quidem iustificacionem nostram, & emundationem à peccato originali fieri per habitum gratiæ, & non per contritionem &c.*

Confirmatur primò. Nam forma, quæ habet immediatam, directam, & adæquatam oppositionem cum peccato habituali, debet esse forma adæquata expulsiuiva illius; sed gratia habitualis habet immediatam, directam, & adæquatam oppositionem cum peccato habituali, & actus charitatis tantum mediatam, & indirectam: ergo, supposita infusione gratiæ habitualis in iustificacione, illa est unica & adæquata forma expellens peccatum habituale; sed secundum providentiam saltem ordinariam actus charitatis non est sine infusione gratiæ habitualis: ergo defectò gratia habitualis est unica & adæquata forma expellens peccatum, ita ut actus charitatis non concurrat formaliter adhuc inadæquate ad eius expulsionem. Maior est certa, ex ijs quæ in naturalibus contingunt: nam quia forma ignis habet immediatam, directam, & adæquatam oppositionem cum forma aque, & calor ut octo tantum indirectam, forma ignis est forma adæquata expulsiuiva forme aque, & calor ut octo non expellit eam formaliter adhuc inadæquate. Minor verò, in qua tantum potest esse difficultas, suadetur: nam peccatum habituale consistit in aversione habituali, & voluntaria gratiæ: ergo conversio habitualis, & radicalis per gratiam habet immediatam, directam, & adæquatam oppositionem cum eo, & aliæ formæ in iustificacione concurrentes tantum possunt habere oppositionem mediatam, & indirectam. Minor subsumpta nequit negari, cum